14

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PERITONITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES HERON,

Hibernus,

COLLEGII CHIRURGORUM REGII LONDINENSIS SOCIUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.



EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIII.

GULIELMO WILKINSON,

ARMIGERO,

HOC OPUSCULUM

STUDIORUM PRIMITIAS

PARVUM,

AT

SUMMÆ OBSERVANTIÆ

ANIMIQUE GRATISSIMI

MONUMENTUM,

DICAT CONSECRATQUE

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PERITONITIDE.

Hunc morbum celeberrimus Cullen ita definivit: "Pyrexia, dolor abdominis, corpore erecto auctus, absque propriis aliarum phlegmasiarum abdominalium signis."

Peritonæum duplice inflammationis genere vexari solet, acuto nimirum et vetere. Forma acuta plerumque a rigoribus et horrore incipit, (quæ tamen signa nonnunquam in toto absunt); febre quoque, et siti, necnon pulsu accelerato; comitantur etiam ab initio caloris sensus, teneritas quædam dolorque in abdomine, qui, incipiente morbo, in certo quodam loco plerumque sedem habet, interdum tamen per totam ejus superficiem diffunditur, quod, progrediente malo, in omnibus evenit. Dolor non ad ventris evacuationem excitat. Lingua inspicienti haud mutatur. Pulsusque exiguus et durus est, et adeo acceleratur, ut centies

saltem in sexagesima parte horæ ictus suos edat. Teneritati et dolori nunc succedit abdominis tensio; cute musculisque abdominis erga spinam retractis et tensis. Horis viginti quatuor vel triginta elapsis, dolor ex pressura acrior fit, et vel stragulorum pondus ingratum. Pulsus sexagesima parte horæ ictus centum et viginti edit, et mucus colore flori lactis haud dissimili, nunc linguam tegere incipit, quæ, etsi humida sit, graviter urget sitis. In exemplis quibusdam pessimis, linguam, per totum morbum, purissimam vidi, et morbose rubram. Ægro dolores maxime sublevantur cum resupinus et immotus manet, genibus paulum erectis, vel, si in latus sit impositus, sic jaceat ut membra inferiora sursum retrahantur; sed cum hæc et corpus fixa sunt, magna est membrorum superiorum jactitatio, quæ optime ostendit quantum doloris æger sentiat. Tensioni nunc supervenit tumor, qui ad diem sextum, septimum vel octavum augetur, in uno e quibus, ni morbus occurratur, mors miserum abripit, et sæpe hoc malum citius lethiferum. Ab initio aliquid nauseæ plerumque adest, quod, progrediente morbo, gravescit: et biliosum quid evomitur. Ei, qui Peritonitide acuta laborat, vultus cito muta-

tur, maxime pro ratione gravitatis symptomatum, et temporis per quod duraverint. Morbo progrediente, gravescunt symptomata. Abdomen magis prominet; extrema frigescunt; pulsus frequentior, debilis, parvus, et plerumque interruptus. Membra inferiora facilius quam antea extenduntur. Cutis, inferiorum præsertim membrorum, humida, cum sudore frigido et glutinoso. Dolor magis imminuitur quam omnino cessat; inquietudo et anxietas vehementes, et vultus quam maxime perturbatur. Nunc venter paululum subsidet, nec unquam tamen ad naturalem convexitatem; iterumque turget. Os pallidum et dejectum, palpebræ demissæ, oculi languentes et vitrei, fati jam imminentis auguria; pro vomitu singultus; fluidumque nigrum, choavæ sedimento haud dissimile, e ventriculo, sine ullo musculorum nixu certe manifesto, perpetuo emittitur. Urina fæcesque nec volenti effluunt; spiritus brevis et laboriosus; incidit subsultus tendinum, morsque tandem benigna a vita miserrima evocat. — Indicia proxime memorata gangrænam ostendunt, qua visa omnis vitæ spes evanescit. Non ubique, ut credo, in hoc morbi gradu, adest delirium, nec plerumque in priori-

bus. Cum adest, tale est quod mussitando declaretur. Aliquando accidit ut viscera subjacentia, vel abdominis parietes, nihil omnino inflammationis a peritonæo accipiant. Ideo est, ut toties inter peritonæi inflammationem et viscerum discrimen facere possimus; propterea quod dolor in illa magis, quam in hac, est in superficie; nulla in quibusdam exemplis constante nausea vel alia alvi perturbatione.—Actio inflammatoria nonnunquam in omento sedem habet. Tum dolor non tam late vagatur, magisque ad summum mediumque abdomen, paululum super umbilicum, tendit; etsi nonnunquam ad hypochondrium dextrum vel sinistrum vergat; hæc tamen est affectio rara. Secundum Doctorem Cullen, potest fieri quoque ut inflammatio mesenterium solum occupat; quod cum parum tantum sentiat, situsque morbi sit adeo profundus, inflammatio mesenterica non nisi ex pressura innotescit. Mesenterii inflammatio vere idiopathica, nec ultra progressa, perraro invenitur, et cum incidit, indicia plerumque sunt mitissima; at affectus hic, ut plurimum, e glandulis mesenterii obstructis, casuve aliquo irritatis, provenit. Videntur tamen haud infrequentia signa, quæ demonstrant, membranam hancce

ideo laborare, quod inflammationem peritonæi magis generalem participet, nec quod glandulæ mesentericæ fuerint ullo modo perturbatæ. Concatenatur quoque cum splenis, jecinoris, vel viscerum inflammatione.

Peritonitis chronica in quibusdam ex acuta nascitur; cum tamen in aliis sine ea existit, et accessus ejus insidiosus est, necesse est de indiciis ejus et curatione fusius dicam. Impetum facit modo acutæ multum dissimili. Pedetentim prorepit, subinde se ostendens doloribus aculeatis in superficie abdominis, sine ulla ventris deplendi voluntate. Pulsus paululum acceleratur; linguam (mane præsertim) albidæ tegunt sordes; sitis multa, nulla tamen vespertina febris exacerbatio; nec hectici in genis rubores; contra languet vultus, faciesque pallet. Ægro, per primos morbi gradus, solitis muneribus vacare licet, at post fatigationem, de constrictione quadam et dolore aculeato, abdomen transverse inter ossa ilia lacessentibus, conqueritur. Hæc signa per plures menses, parum aucta vel mutata, permanebunt. Alvus interea nonnunquam regularis, sæpius tamen constricta. Nulla cutis abdominis, ut in acuta, tensio; e contra, cutis et musculi abdomi-

nales laxe peritonæo incumbunt: quod, cum premuntur, sensum tangenti efficit, quasi firma in situ peritonæi subtendatur ligatura (quam altam tensionem et in acuta digitus expertus optime percipere potest). Constrictionem magis luget ægrotans quam dolorem; quæ cum ex congestione quoque in intestinis multum augetur, solatium quod his depletis accepit, facit ut omnia quæ urgeant pigro ventri referrat, ad quem levandum conatus omnes, ut plurimum, confert. Resolvitur nonnunquam inflammatio, ejecto fluido, quod ascitem, et sic mortem, inducat. Glandulæ mesentericæ sæpissime in hoc morbo tumidæ sunt, sed non suppurant, nec caseum quod continent. Inflammationem a glandulis hisce mesentericis ad peritonæum extendi verisimillimum videtur, primum ab indiciis admodum diversis quæ glandulas has idiopathice affectas commonstrent, deinde, quod in quibusdam hujus affectionis exemplis, a tumore integræ sunt repertæ.

Sectio Cadaveris.—Qui Acuta Peritonitide pereunt eorum corpora incisa, peritonæum ostendunt præter naturam densatum, flaccidum et opacum, summéque vasculare, utpote confertum vasis

plurimis et tenuissimis, quæ sanguinem floridum habent. Sæpe ventriculus intestinaque ad magnitudinem enormem aëre incluso distenduntur; aliquando tamen aër hicce abest. Musculi abdominales nullum inflammationis in se diffusæ indicium præbent, cum peritonæi inflammati pars ab eis separata sit; sed nonnunquam invenitur, quæ non in tunicam modo muscularem intestinorum, sed et in membranam villosam penetraverit, cum peritonæum intestinale inflammatio occupâsset. Cum inflammatio levis est, et peritonæum intestinale afficit, latas efficit superficies, quæ intestinorum cursum sequuntur. In hoc casu, tunicæ non solito densiores; cum sit inflammatio ipso peritonæo propria. At ubi inflammatio magna est, multo densiora sunt intestina, cum ex sanguinis in vasculis accumulatione, tum ex fluidorum in ipsa intestina, propter actionem vehementer inflammatoriam vasorum, extravasatione. In cavo abdomine plus minusve fluidi reperitur, cui color est, nunc sero similis, nunc subfuscus, lymphæ coagulatæ particulis pureque immixtus, quæ turbidum faciunt. Lymphæ fluidique quantitas nonnunquam major quam pro gradu inflammationis. In quibusdam pro sero multum puris invenitur.

Mesenterium et mesocolon multo quam in statu naturali densiora. Omentum quoque multum mutatur, sæpe inspissatur, et mole circumscripta, secundum magnam ventriculi curvaturam, jacet. In multis locis ejicitur stratum substantiæ, colore subflavo, pulpæque similis, quæ varias viscerum partes conglutinat. Videtur esse lympham coagulatam, et modo tenuis est, modo non minima spissitudine. In eis, qui per aliquod temporis morbo chronico laboraverint, lympha coagulata, quæ ejecta fuerat, in membranam translucentem mutata, intestinorum convolutiones nonnunquam in molem unam per morbum confunduntur. Membrana hæc potest sensim, ex viscerum inter se motione, elongari, ut paulum molestiæ tandem faciat. Peritonæum omnino opacum invenitur, admodum quoque densum, et vi resiliendi destitutum. Post formam acutam adsunt nonnunquam gangrænæ signa, ut sæpius post inflammationem e vulnere quam ex alia quacunque causa videntur.

Causæ.—Hic morbus originem sæpe trahit ab operationibus chirurgicis, vulneribusve aliis, præsertim quæ lacerant, abdomini illatis. Hunc

quoque creat frigus cum humore conjunctum, utique si pedibus sit admotum, vel siquis, corpore calido, subito se frigori objiciat. Animi perturbationes, eruptiones e cute repulsæ, morborum aliorum translatio, multæque præterea causæ, hoc malum efficere valent. In quibusdam inflammatio jecur primo, vel intestina, vel ventriculum afficit; at postea peritonæum, præcipue et gravissime aggreditur.

Diagnosis.—Hepatitis Acuta, Gastritis, Colica Pictonum, et musculorum abdominalium affectio spasmodica, quæ in tetano incidit, signis sibi propriis sic notantur, ut non opus sit plura dicam. Inter Peritonitidem et Enteritidem, (quæ idem esse vitium nonnulli putant), non tam facile discrimen, etsi multum inter se differant. Quarum tamen illa adesse cognoscitur, cum dolor permaneat, et ex pressura multum augetur, priusquam tensionis aliquid extiterit; cum non ad alvum dejiciendam excitet; nec, ventre exonerato, imminuatur. Dolor circa umbilicum, vehemens, torquens, et pungens, una cum constipatione vomituque, Enteritidem distinguunt. Inflammatione membranæ viscerum mucosæ, suæ notæ

sat superque discriminant, inter eam et Peritonitidem Chronicam.

Prognosis.—Hæc signa optima quæque sperare suadent; si teneritas et dolor abdominis sensum minuantur, et pressura manus minori cum molestia ferri possit; si pulsus minus frequens et parvus, vultus spiritusque magis naturales; si urina sedimentum abunde deponat; si erectus stare facilius queat, et alvus scienti dejiceatur. At infaustum est, cum symptomatum gravitas augetur, et cum rigores, et quasi ponderis in abdomine sensus incidunt, quæ res pus moveri indicant. Gangræna mortis haud fallax nuntia. Sed hujus indicia, antea memorata, supervacuum esset nunc repetere.

Curatio.—Ut morbi impetum sustineamus, sanguinis emissioni, et generali et locali, maxime fidendum. In hoc primo gradu, sanguinis unciæ sexdecim, viginti, vel triginta, statim, et pleno rivo, abducendæ; ratione gravitatis symptomatum habita, ut etiam ætatis ægri, habitusque corporis. Hæc evacuatio, si necesse fit, repeti debet, brevibus spatiis intermissis, præ viribus ægrotantis, et,

ante omnia magnitudine doloris, tensionisque abdominis, et teneritatis quæ ex pressura existit. Cum dolor paululum scalpello sedatus sit, multum proderit hirudines abdomini imponere; et in gravibus exemplis si boni aliquid ex iis speretur, satis magna multitudine utendum, a sexaginta ad octoginta imponendæ sunt, si omne, quod ex iis est, beneficium velimus; nec unquam pauciores quadraginta. Cum hirudines sanguinis repletæ exciderint, balneum calidum aut fomenta calida plurimum proficient. Damno, quod in corporis habitu efficerat inflammatio localis sic, magna ex parte, amoto, cumque morbus, ad statum pervenerit affectioni simplici et locali propriorem, vesicatorium magnum abdomini optime imponitur. Dum his solatium maxime adducturis incumbamus, medicinæ internæ non debent prætermitti. Quod ad nos attinet, primum opus est, ut primæ viæ exonerentur, quod ut quam minima irritatione fiat, drachmæ sex septemve Olei Ricini, ex aqua Menthæ piperitæ dari possunt, simulque enema emolliens vel catharticum exhiberi, vel circiter grana sex calomelanos per se. Sales purgantes parce et sæpius adhibiti, horum medicamentorum actioni opitulando, et fluidorum ab inflammationis sede de-

cessum, auctamque ideo, in superiorem partem canalis intestinalis, secretionem efficiendo, plurimum sæpe proficiunt. Ob nauseam vomitumque quæ nonnunquam adsunt, sæpe difficillimum est medicamenta invenire quæ in ventriculo retineantur. Tum haustus salini effervescentes (quibus guttas paucas Tincturæ Opii addere licet) quam minima magnitudine adhibiti, in quibusdam utiles erunt, aut granum plusve opii solidi dare licet, sequentibus vel comitantibus, quæ jam memoravimus medicamenta purgantia. Potiones ex mucilagine quoque laudantur. Nonnunquam medicinæ valde fastiditæ (exempli gratia, infusum Sennæ cum Sulphate Magnesiæ) in ventriculo retinentur, gustui jucundiora rejiciuntur : at, in talibus forte, calomelos (quod, cum opio conjunctum, in hac et aliis inflammationibus internis maximam laudem obtinuit) parce et sæpius adsumptum, omnium forsitan optime permanebit : nam ex parva, qua adhiberi potest, quantitate, minus aptum videtur ad vomitum excitandum. Præterea, haud veri dissimile videtur, hanc combinationem in his morbis proprias quasdam et specificas uti dicunt, exercere virtutes, præsertim cum os afficiat. Enemata emollientia sæpius per morbi cursum exhibita multum cæteris medicinis

opitulantur, nec raro vomitum cohibent, cum omnia medicamenta ore sumpta frustra fuerint. Præter effectum purgantem, inflammata quoque interne fomentant. Sed, ut in gravibus exemplis proficiant, magna mole dari, et in singulis horis repeti, debent. Aquam frigidam abdomini adhibitam, et forma enematis, quidam summis laudibus extulerunt, at non frequentem usum obtinuit. Ut ad corporis superficiem determinatio fluidorum fiat, et diaphoresis sustineatur, apta ad id medicamenta nunc adhibenda; et misturæ Camphoræ cochleare amplum plusve subinde datum, sæpe actionem eorum promovet; at, ubi Calomelane cum Opio conjuncto, cujus supra mentionem fecimus, usi sumus, his medicamentis proxime memoratis opus non erit; hæc enim combinatio plurimum in diaphorese sustinenda, valere reperitur. Oleum Terebinthinæ in portionibus unciæ aut plures, laudem accepit, at in puerperarum peritonitide utilius est; qui morbus, ob debilitatem quæ eum comitatur, et cujus affectio abdominis non est nisi indicium, propriam sibi exigit curationem. Sub morbi finem, si magna existat debilitas, cinchona vinumque exhiberi debent, et quæ, ex casu aliquo, inciderint symptomata, curatione, quam indicent, amovenda. Diarrhœa, si

acciderit non gravis, medicamentis haud temeranda. Ægri vires cibo levi et nutriente sustinendæ; atque, cum opus sit, laxantia adhibenda. Peritonitidis chronicæ, quæ nonnunquam acutæ succedit, curatio in hoc posita est, ut æger cibo animali, potuque fermentato, omnino prohibeatur, et lacte tantum herbisque vescatur; et ut semel aut bis in hebdomade, sanguinis unciæ sex vel octo emittantur. Quæ detractio vel generalis esse potest vel localis, quarum illa utendum est, si corporis habitus multum laborare videatur; hac, si morbus localis constitutionem parum turbaverit. Alvi modica laxitas conservanda, medicamentis leniter purgantibus, quale est Sulphas Magnesiæ, parce et sæpius exhibita. In quibusdam, vesicatoria subinde abdomini, post brevia intervalla, imposita, multum profuerint. Morbus hic quippe qui sensim prorepens, corporis habitum insidiose subruat, tardeque sanescens, multis, inter curandum, casibus objiciat, plurimum in se periculi habet, et etiam cum indicia sunt gratissima, semper timendum est, ne in pejus relabatur; et sæpe in Ascite terminatur. In exemplis quibusdam, hydrargyro sic adhibito, ut os afficeret, utilitate haud caruit.

FINIS.